ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Perillustris Amplissimeque DOMINE,

Ex Amanuensis tui litteris affectum tuum non vulgarem collegi, quia maximis dum detineris negotiis, in meum quoque deflectis animum, à Serenissimo Principe tuo stabiliendum. Libellum ecce supplicem hîc adjungo, et exemplar Diplomatis, Testimoniumque domicilii mei; utrumque frustra mihi concessum, nisi à militibus Bergensibus observentur. Favorem igitur tuum adhuc imploro, ut praedio Vthemiensi possim frui, quod non solùm à Socero meo concessum, sed benignâ manu tuâ mihi elargitum existimabo. Beatus ero; si permittent milites Bergenses me rusticum esse, quem Tuum ideò credent, quia in protectionem sui Principis receptum. Imaginum Aedificii tui spectator et admirator quoque fui, de quo Parens meus, item Clarissimus TVLDENVS hîc scribunt. Ego Pompam Prosphoneticam, sive Praefationes omnes Optimi Parentis mei recenter à me collectas editasque transmitto, ut de omnibus Operibus censeas, quae aliquando molem suam constituent. Vale, Vir Amplissime, et me quoque Tuum censeas rogo. Lovanii, in Arce, IV. Eidus Iulii. ∞.DC.XXXIX.

Virtutis et Dignitatis
tuae aeternus cultor

Iustus Puteanus.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Puteanus_J_C) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2166

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Puteanus_J_C) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2166

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Puteanus_J_C) 2
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2166